[9] Inde P. Valerius iterum T. Lucrētius cōnsulēs factī. Iam Tarquiniī ad Lartem Porsennam, Clūsīnum rēgem, perfūgerant. Ibi, miscendō cōnsilium precēsque, nunc ōrābant, nē sē, oriundōs ex Etrūscīs, ēiusdem sanguinis nōminisque, egentēs exsulāre paterētur, 2 nunc monēbant etiam, nē orientem mōrem pellendī rēgēs inultum sineret. Satis lībertātem ipsam habēre dulcēdinis. 3 Nisi, quantā vī cīvitātēs eam expetant, tantā rēgna rēgēs dēfendant, aequārī summa īnfimīs; nihil excelsum, nihil quod suprā cētera ēmineat, in cīvitātibus fore; adesse fīnem rēgnīs, reī inter deōs hominēsque pulcherrimae. 4 Porsenna cum rēgem esse Rōmae, tum Etrūscae gentis rēgem, amplum Tuscīs ratus, Rōmam īnfēstō exercitū vēnit.
5 Nōn unquam aliās ante tantus terror senātum invāsit; adeō valida rēs tum Clūsīna erat māgnumque Porsennae nōmen. Nec hostēs modo timēbant sed suōsmet ipsī cīvēs, nē Rōmāna plēbs, metū perculsa, receptīs in urbem rēgibus vel cum servitūte pācem acciperet. 6 Multa igitur blandīmenta plēbī per id tempus ab senātū data. Annōnae in prīmīs habita cūra, et ad frūmentum comparandum missī aliī in Volscōs, aliī Cūmās. Salis quoque vendendī arbitrium, quia impēnsō pretiō vēnībat, in pūblicum omne sūmptum, adēmptum prīvātīs; portōriīsque et tribūtō plēbēs līberāta, ut dīvitēs cōnferrent quī onerī ferendō essent: pauperēs satis stīpendiī pendere, sī līberōs ēducent. 7 Itaque haec indulgentia patrum asperīs postmodum rēbus in obsidiōne ac fame adeō concordem cīvitātem tenuit, ut rēgium nōmen nōn summī magis quam īnfimī horrērent, 8 nec quisquam ūnus malīs artibus posteā tam populāris esset, quam tum bene imperandō ūniversus senātus fuit.
[10] Cum hostēs adessent, prō sē quisque in urbem ex agrīs dēmigrant; urbem ipsam saepiunt praesidiīs. Alia mūrīs, alia Tiberī obiectō vidēbantur tūta: 2 pōns sublicius iter paene hostibus dedit, nī ūnus vir fuisset, Horātius Cocles; id mūnimentum illō diē fortūna urbis Rōmānae habuit. 3 Quī, positus forte in statiōne pontis, cum captum repentīnō impetū Iāniculum atque inde citātōs dēcurrere hostēs vīdisset trepidamque turbam suōrum arma ōrdinēsque relinquere, 4 reprehēnsāns singulōs, obsistēns obtestānsque deum et hominum fidem, testābātur nēquīquam dēsertō praesidiō eōs fugere; sī trānsitum ponte ā tergō relīquissent, iam plūs hostium in Palātiō Capitōliōque quam in Iāniculō fore. Itaque monēre, praedīcere ut pontem ferrō, īgnī, quācumque vī possint, interrumpant: sē impetum hostium, quantum corpore ūnō posset obsistī, exceptūrum.
5 Vādit inde in prīmum aditum pontis, īnsīgnisque inter cōnspecta cēdentium pūgnae terga obversīs comminus ad ineundum proelium armīs, ipsō mīrāculō audāciae obstupefēcit hostēs. 6 Duōs tamen cum eō pudor tenuit, Sp. Larcium ac T. Herminium, ambōs clārōs genere factīsque. 7 Cum hīs prīmam perīculī procellam et quod tumultuōsissimum pūgnae erat, parumper sustinuit; deinde eōs quoque ipsōs exiguā parte pontis relictā, revocantibus quī rescindēbant, cēdere in tūtum coēgit. 8 Circumferēns inde trucēs mināciter oculōs ad procerēs Etrūscōrum, nunc singulōs prōvocāre, nunc increpāre omnēs: servitiā rēgum superbōrum, suae lībertātis immemorēs aliēnam oppūgnātum venīre. 9 Cūnctātī aliquamdiū sunt, dum alius alium, ut proelium incipiant, circumspectant; pudor deinde commōvit aciem, et clāmōre sublātō undique in ūnum hostem tēla coniciunt.
10 Quae cum in obiectō cūncta scūtō haesissent, neque ille minus obstinātus ingentī pontem obtinēret gradū, iam impetū cōnābantur dētrūdere virum, cum simul fragor ruptī pontis, simul clāmor Rōmānōrum, alacritāte perfectī operis sublātus, pavōre subitō impetum sustinuit. 11 Tum Cocles ‘Tiberīne pater’ inquit, ‘tē sancte precor, haec arma et hunc mīlitem propitiō flūmine accipiās.’ Ita sīc armātus in Tiberim dēsiluit multīsque superincidentibus tēlīs incolumis ad suōs trānāvit, rem ausus plūs fāmae habitūram ad posterōs quam fideī. 12 Grāta ergā tantam virtūtem cīvitās fuit; statua in comitiō posita; agrī quantum ūnō diē circumarāvit, datum. Prīvāta quoque inter pūblicōs honōrēs studia ēminēbant; nam in māgna inopiā prō domesticīs cōpiīs ūnusquisque eī aliquid, fraudāns sē ipse vīctō suō, contulit.